

quanta est quòd quatuor sint octo, aut quòd octo sint quatuor; at hoc repugnat, ergo & prius. Nec dicas effectum *ut quatuor* respondere vni agenti *ut quatuor*, item alteri agenti *ut quatuor*, hoc enim non soluit rationem, nam instabo semper: effectus adæquatus debet respondere suæ causæ adæquate, & simul, non verò succelluè, aut diuerso respectu, ergo effectus ille *ut quatuor* deberet respondere suæ causæ adæquate, cum quæ illa adæquate sumpta emittat virtutem *ut octo*, debet recipi *ut octo* in ipso effectu, alioquin quilibet illarum causarum non ager *ut quatuor*, quod tamen supponimus; aut aliquid virtutis perderetur in via, nec recipitur in effectu, sicque etiam erit contra suppositionem, quia tunc ille effectus non esset ab agentibus, quorum vnum quodque agat *ut quatuor*; nam si deperdatur in via gradus vnus vnus agentis, & vnus gradus alterius agentis, tunc vnumquodque illorum non dicitur esse agens, nisi *ut tria*.

Probatur secundum.

Probatur *secundo* Resolutio; Actio identificatur cum termino, saltem secundum communiorum doctrinam: sed impossibile est vnã actionem seu productionem (hic sumo actionem pro ipsa productione iuxta viam Thomisticam) esse à duobus agentibus non subordinatis totalibus, &c. ergo etiam est impossibile eundem effectum dependere à pluribus agentibus non subordinatis.

Respondent tamen diuersimodè ad hoc, qui enim existimant actionem identificari cum suo termino realiter, consequenter dicunt duas illas causas totales per vnã, eandemque actionem producere vnum illum terminum; sed inferam, ut superiori ratione, repugnat quòd virtus egressa *ut octo* conferat actionem tantummodò *ut quatuor* ob instantiam à nobis iam factam.

Qui verò defendunt, quòd actio distinguatur à termino, dicunt quòd ille prædictus effectus dependeret, & procederet per duas actiones diuersas à duabus illis causis totalibus: sed recurret instantia facta. Actio quilibet habet virtutem *ut quatuor*, ergo quilibet dat effectui virtutem *ut quatuor*: at *quatuor* & *quatuor* sunt octo, ergo effectus esset virtutis *ut octo*, quod est contra suppositionem; quare tam benè repugnat vnum numero effectum *ut quatuor* produci à duobus agentibus, quorum quodlibet agat *ut quatuor*, quàm repugnat *quatuor* & *quatuor* non esse octo, cum ergo Deus non possit istud efficere, neque poterit illud præstare, quia, inquam, est implicantia ex parte terminorum, seu rei factibilis.

Obj. primo.

Objicitur tamen *primo*: si Deus conferuet materiam denudatam omni formã, omnique qualitate, solã quantitate remanente, adhibeatque circa illam materiam plures ignes, quorum quilibet possit per se in illa materia ignem generare, certum est, quòd illi ignes sint in materiam acturi, & ex ea ignem producturi, qui erit solùm vnus, isque à pluribus agentibus totalibus, & eiusdem generis.

Resp.

Respondeo quòd ille ignis productus in illa materia, non esset idem numero, ac si productus esset ab vno tantum illorum ignium; est enim multò nobilior, aut saltem magis sub-

tiò productus quàm si fuisset tantum productus ab vna causa.

Objicitur *secundo*: si esset aliqua repugnantia, esset propter simultaneum vtriusque causæ totalis concursum; sed hoc non; Deus enim faciet, ut concursus vnus causæ non impediat concursum alterius, sicut faceret in vna materia habente duas formas substantiales, & in forma vna substantiali, informante duas materias.

Obj. secundum.

Respondeo negando maiorem, sed petitur præcisè repugnantia ex eo quod sit contradictio, quòd effectus *ut quatuor* sit productus à duabus causis, quarum vnãquæque agat *ut quatuor*, ut patet ex probationibus resolutionis.

Resp.

## Partitio X.

### De causis per accidens.

DICTUM est in initio de causis maximam esse differentiam inter causas accidentales, & causas per accidens; causa enim accidentales agunt ex intentione finis, & per consequens dicuntur causæ per se, at non sic causæ per accidens, sed dicuntur illæ causæ esse per accidens, quæ producunt effectum præter intentionem agentis, aut præter ordinariũ causandi modum, sequiturque ille effectus non ex eo quod causa sic operetur, sed tantum per accidens: huiusmodi est inuentio thesauri, ratione cuius fossio terræ arando dicitur causa per accidens; non enim agricola arando intendit inuentionem thesauri, sed solum fossionem terræ.

Quid sit causa per accidens.

Dux autem hic afferuntur ab Aristotele causæ per accidens, scilicet fortuna & casus.

Circa fortunam multa finxere Poætæ, imò & ipsam vocarunt Deam.

Num. 12. De fortuna.

*Te facimus fortuna Deam, coloque locamus.*

Sed illis omissis, tum etiam varijs fortunæ sumptionibus eam solent definire Physici hoc modo; *Fortuna est causa per accidens in agentibus ex electione*. Dicitur causa per accidens ad distinctionem causarum per se: dicitur in agentibus ex electione, ut distinguatur à casu; nam fortuna dicitur tantum respectu agentium liberorum: at Casus respectu agentium naturalium non liberorum, vnde sic rectè definitur casus. *Causa per accidens in agentibus sine electione*: fortunæ exemplum allatum est de agricola illo arante; inuentio enim illa thesauri dicitur fortuna. At exemplum casus est v. g. si quis deambulans per vicos lædatur à regula cadente ex recto, & vento depulsã, illa læsio dicitur casu facta.

Quia autem fatum casui, & fortunæ opponitur, idcirco nonnulli hic agunt de fato, illa tamen quæ circa fatum dicuntur ordinariè, desumuntur penes diuersam fati sumptionem, secundum diuersas paganorum opiniones; alij enim voluerunt fatum nihil aliud esse, quàm infallibilitatem quandam, seu potius necessitatem rerum naturalium: Alij sumperunt fatum connexionem causarum secundarum, quas dicebant regi à fato: Alij nunc sumunt fatum pro decreto diuinæ voluntatis, qua tamen in sumptione, non imponit rebus necessitatem: at-

Num. 11. De fato.